



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 44. Alia in Provincia Cyrenaica negotia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

Sæculum V. *habeat, quomodo Spiritus S. advenire pro-*
A. C. 412. *fit, ille nempe Spiritus, quem peccatum in*
anima pelleret, si prius in ea habitasset.
 Episcopus Paulus errorem suum agnovit
 & Dioscorus in contractum consensit,
 quippe locum istum, litis causam, eidem
 æquis conditionibus vendidit.

§. XLIV.

Alia in Provincia Cyrenaica negotia.

Ead. epist.
p. 215.

Cum quidam Presbyter, nomine Jafon,
 Presbyterum alium, cui nomen Lam-
 ponianus, verbis offendisset, ab ipso ve-
 pulavit; Lamponianus a Jafone accusa-
 tus, culpam confessus est, & in pœnitentiam
 a Conventibus Ecclesiasticis separa-
 tus. Is dolorem animi suis lacrymis si-
 gnificabat, rogabatque populus pro eo,
 ut ei Gratia fieret; at Synesius senten-
 tiam non mutavit, & auctoritatem absol-
 vendi Cathedræ Pontificiæ, id est, Theo-
 philo reliquit. Hoc solum omnibus Pres-
 byteris, qui forte præsentibus futuri essent,
 permisit, ut Lamponiano, in mortis peri-
 culo constituto, Communionem darent.
Nemo enim, inquit: per me ligatus mori-
rietur; si vero sanitati restituitur, pri-
stinis panis obnoxius erit, & a vestra be-
nignitate indulgentiæ signum expectabit.
 Hic videmus absolutionem ab ipso Metro-
 polita, qui pœnam impoluerat, Superiori
 reservatam.

Inter

Inter alias querelas, quas Synesius ad Theophilum defert, illa est, quod Episcopi Episcopos leges violasse accusent, non eum in finem, ut condemnentur, sed tantum ut lucelli occasio Prætoribus præbatur; ex quo sequitur, coram iis fuisse accusatos. *Hos tibi non nomino; inquit, & rogo te, ne eos in responsoria tua nomines, ne fratrum meorum invidiam incurram.* Etiam de quibusdam Episcopis vagabundis, seu vacantibus, quos Vacantivos vocat, conqueritur; hi propria voluntate Cathedram deserebant, cui fuerant destinati, & diversis in locis Episcopatus honorem captabant, ibi hærentes, ubi majus lucrum invenirent. Synesius arbitratur, his desertoribus omnes functiones Ecclesiasticas interdicendas, & donec ad propriam Ecclesiam redeant, ipsis nullibi primum locum concedendum, nec ad Sanctuarium admittendos, sed, ubi ad Ecclesiam venirent, populo permixtos in sedilibus laicorum relinquendos. *Fortassis, inquit: iste contemptus ad suas Ecclesias redire coget, ut ibi honorem inveniant, quem alibi frustra querunt.* Hic exemplum habemus communionis tantum laicæ, Clericis concessæ, ut punirentur.

Eunomiani, quodam Quintiano instigante, Diœcesin Ptolemaidæ suis erroribus inficere, & secretos Conventus age-

Sæculum V.
A.C. 412.

p. 216.

vid. Cang.
Gloss. Gr.
& Latin.
v. Petar.
hic.

Sæculum V.
A. C. 42

re tentarunt. Synesius Presbyteros suos monet, ut attendant, & Hæreticos doceant. Et subjungit: *non tantum bona agamus, sed etiam bene. Absit sordida avaritia; omnia propter Deum faciamus. Absit! ut eadem sit vitii, virtutisque materia!* & postea: *Deus virtutem imperfectam non creavit, quæ vitii auxilio indigeat. Nunquam fortes milites Ecclesiæ suæ deesse patietur, qui postquam ei gratuito in his terris servierint, plenam mercedem in Cælo recipient.* In hunc modum Presbyteros suos hortabatur, ne zelum suum in Hæreticos invidia corrumpi fernerent, nec eos ideo persequerentur, ut distarentur eorum spoliis, aut oblationibus populi potirentur, sed solius Religionis Bono intenti.

§. XLV.

Excommunicatio Andronici.

Synes. ep.
58.

Andronicus Berenice, Pentapoleos urbe, cum pecunia Præfecturam Patriæ suæ obtinuisset, more tyrannorum imperabat, multis se criminibus in Deum, & homines polluens; in flagitiis adiutorem habebat, quemdam, nomine Thoam, quem ex carcerum custode nescio cuius tributum exactorem fecerat. Forum populi gemitibus resonabat; Palatii porticus, ubi jus dicere Prætores solebant, jam supplicii locus erat. Is novos torquen-